

bantur omnes in Anhaltinum, qui certè non parum periclitabatur, donec Molsheimenses mali aliquid suspicati citatis equis accurrerent, & Lotharingos in fugam conijcerent. Desiderati sunt ex illis quindecim: ex Anhaltinis David Comes Mansfeldius, lethaliter vulneratus Argentinae obiit, ut & nonnulli alij.



Monetâ, quâ stipendia militibus, hoc durante bello, solvebantur, tribus insignibus, Administratoris, Capituli, & urbis notatâ utebantur socij bellatores, cuius valor eo tempore viginti: dimidia autem decem baciorum erat. Decimo nono Decemb. Argentoratum venerunt Legati Cæsarei: Gallus Adamus Poppelius, Christophorus à Stadion, & Doctor Michael Textorius amplissimæ dignationis & eximiae virtutis ac prudentiae viri, cum Heroldo & aliquot equitibus: ut pacem inter Brandenburgensem & Lotharingum conciliarent, denunciatoque Magistratui Cæsaris mandato, ut arma deponeret, ad Lotharingum profecti sunt. Defatigatis tandem utrinque animis & intercedentibus legatis Cæsareis aliqua spes pacis capit suboriri. Brandenburgensis enim & Capitulares cum Magistratu urbis, quamvis ob numerosum exercitum hostibus se iamnum superiores facillè futuros arbitrantur, mandatis tamen Cæsareis se parituros, & ab armis recessuros promittunt. Neque Lotharingi vicissim à pacis tractatione animus abhorrebat: unde cum ultrò citròque legatorum sermones commearent, communi tandem consensu inter partes his conditionibus convenit: utrinque armis discederent: militem exauthorarent, dimitterent: pacem & amicitiam colerent: primariam litis causam arbitrio sex prædictorum Principum decidendam relinquerent. Interea Dux Carolus Cardinalis Metensis in Alsatia Tabernas retineret: Benfeldiam, Satrapias Bernsteinium, Kocherspergam, Schirmeckium, superiores Mundatas Ruffach, & circumiacentia loca ad Episcopatum pertinentia: sed & Molsheimium illi ab Argentinensibus redderetur. Vicissim Marchioni Brandenburgensi cederet Satrapia Dachsteinium cum arce, pagis & subditis, Aedes capituli & sedes Episcopalis cum granario in urbe Argentinâ: proventus in oberehenheim: Marlenheim cum suis appertinentiis: Satrapiae quoque Wantzenovia, Reichsterten, Weiherstheim ad turrim, Marckelsheim, Oberkirch ultra Rhenum: Ettenheim & Gravenhusen. Civitati vero Argentinensi restitueretur Waslenheim, & tormenta bellica ibidem inventa. His conditionibus utraque pars subscripsit, & pax per tres Tubicines, magno cum subditorum gaudio, promulgata fuit. Atque hæc eorum, quæ bello Alsatico gesta, summa quasi capitum sunt fastigia: Emblemata, quæ in nummis tribus conspiciuntur, paucis attingamus. *Arcus cum sagittis* ut belli amoris, pœnitentiæ, velocitatis